



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XVII. An Sufficiens auxilium detur omnibus ad salutem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

13. de verb. Apost. *Adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.*

2. Contra meum, 1. Cor. 15. *Gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus LABORAVI: Non Ego autem; sed Gratia Dei mecum. Ac per hæc, ait Aug. l. de grat. & lib. arb. c. 5. nec gratia Dei sola; nec ipse solus; sed gratia Dei cum illo.*

3. Ideo monet, 2. Cor. 6. *Ne in vacuum Dei gratiam recipiatis. Nam, Rom. 8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Atque ita ait Phil. 4. Omnia possum in eo, qui me confortat.*

## XXIX. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ Negant esse in potestate hominis, Gratia consentire, vel refragari: adeo cogit gratia voluntatem: & quis resistat ei?

CHRISTVS. At ego, Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos; & Nolui.*

Hoc verò resistere est gratia. Apoc. 3. *Ego sto ad ostium voluntatis humanæ, & pulsos; Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum. Aperire ianuam est voluntatis.*

4. Vere Sanctus Stephanus, Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resististis.*

Quæ circa, Psal. 94. *Hodie st vocemini audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

## QVÆSTIO XVII.

An SUFFICIENS Auxilium detur omnibus ad salutem?

## XXX. ANTICHRISTIANISMVS.

PLAGIANI fingebant, solis liberi arbitrij viribus quemque salutem consequi posse; nec opus vlla gratia præueniente.

CHRISTVS. At ego etiam ijs sufficiens præbeo, quos præuideo non credituros. Ideo dixi, Mat. 11. *Si in Tyro & Sidone hæc facta fuissent; in cinere & cilicio penitentiam egissent.*

Ego dixi, Mat. 13. *Vobis, etiam Iudæ, datum est nosse mysterium regni Dei; ceteris autem non est datum.* 2. Thel. 3. *Non omnium est fides. Nam, Rom. 9. Cuius vult, miseretur; quem vult, indurat.*

## XXXI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ: Solis prædestinatis, non reprobis datur auxilium sufficiens ad salutem consequendam. Quia ipse Omnis gratia est Efficax, & determinans voluntatem.

CHRISTVS. I. At ego dixi, Mat. 5. *Deus solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos gratiam suam, exponit S. Ambr. serm. 8. in Psal. 118. Dixi, Ioan. 1. Lux vera illuminat omnem hominē luce gratia ait Chryl. Quia, 2. Tim. 2. Vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 2. Pet. 3. Non vult abiquis perire; sed Omnes ad penitentiam venire. Ps. 18. Non est, qui se abscondat à calore eius. Sap. 11. Misereris omnium, quia potes. &c.*

II. Sufficiens auxilium ad resurgendum à peccato non ad: sit omnibus temper & ubique. Sic ipse docui, Ioan. 12. *Propter ea nō poterant credere, quia iterum dixit Isaias; excacavit oculos eorum, sc. stante cæcitate non poterant. Idem recte asseritur 2. Tim. 2. Ne quando Deus det illis penitentiam ad cognoscendam veritatem, & resistant à diaboli lequeis.*



III. Ad deuitanda tamen peccata sufficiens auxilium omnibus, semper, & ubique adest, mediatè, vel immediatè. Iaco iusti orari, Mat. 6. *Et ne nos inducas in tentationem.* Proinde, Eccl. 15. *Ne dicas per Deum Absit.* Quia Oseæ 13. *Perditio tua ex te: tantummodo in me auxilium tuum.* Vnde Aug. l. de nat. & grat. c. 43. *Admonet nos Deus facere, quod possumus, & petere, quod non possumus.* Idem l. de grat. & lib. ar. c. 16. *Ideo quædã iubet, quæ non possumus, ut sciamus, quid ab illo petere debeamus.*

### QVÆSTIO XVIII.

*An vlla sit CAUSA PRAEDESTINATIONIS in nobis?*

#### XXXII. ANTICHRISTIANISMVS.

**C**ALVINISTÆ Eudoxia, seu merum gratuitum Dei beneplacitum causam Electionis impellentem bene constituunt; sed malè explicant, malè defendunt: Nimirum sic placuisse Deo ante præuisum peccatum origin. & etiam post præuisum peccat. origin. & actualia.

**CHRISTVS;** Ego quinque hac in redocui.

I. Aliqui sunt Electi. Mat. 20. *Multi sunt vocati; pauci verò electi.* Mat. 24. *Congregabunt Electos eius à quatuor ventis.* Ro. 8. *Quis accusabit aduersus Electos Dei?* Eph. 1. *Elegit nos IN IPSO ante mundi constitutionem.*

II. Sunt Electi ad regnum. Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex; quoniam complacuit Patri dare vobis regnum.* Rom. 10. *Reliquiae, secundum Electionem gratia saluae factæ sunt.*

III. Electi ad regnum infallibiliter

saluabuntur. Mat. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Ioan. 6. *Hæc est voluntas Patris; ut omne, quod dedit mihi; non perdam sed resuscitem in nouissimo die.* Ioan. 10. *Ne mo rapiet eas de manu mea.* Ego & Pater vnus sumus. Rom. 9. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, sc. secundum propositum; Et quos, ita vocauit, hos iustificauit; Et quos ita iustificauit, hos magnificauit.*

IV. Electio prædicta, est facta ex mera Dei Misericordia. Lu. 12. *Complacuit Patri dare vobis regnum, gratuito.* Quia Ioan. 15. *NON OS Me elegistis; sed EGO elegi vos; & posui vos, ut catis, & fructum offeratis, & fructus vester maneat, quasi dicat. Non elegi vos, quasi viderim me eligendum fore à vobis, vos fructificaturos, aut per seueraturos; non: sed elegi vos ut faciam vos fructificare, me sequi, & perseuerare.* Clarius Rom. 11. *Reliqui mihi adhuc 7000. virorum, qui non curauerunt genus ante Baal. Sic ergo in hoc tempore reliquæ SECUNDVM ELECTIONEM GRATIAE saluae factæ sunt.*

Clarissimè Eph. 1. *Elegit nos in Ipso ante mundi constitutionem, sc. te, semus sancti & immaculati. Et, Prædestinauit nos in adoptionem filiorum SECUNDVM PROPOSITVM VOLUNTATIS SVAE, in laudem gloria GRATIAE suæ.*

Addit: *IN QVO nos FORTE vocati sumus, prædestinati secundum Propositum eius; quasi dicat. Vocatio, respectu hominum dici potest Fortuita; quia ipsi in se facti sunt; at respectu Dei non est fors, sed destinata, electio secundum propositum.*

V. Electio eadem est non solum gratuita; sed etiam absque vlla præuisione operum. Rom. 9. *Cum nondum nati essent,*



aut aliquid boni vel mali egissent: (Vi secundum Electionem Propositum Dei maneret) non ex operibus; sed ex Vocante dictum est ei, &c. *Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Ro. 11. Si gratia; iam non ex operibus: Alioqui gratia iam non est gratia.

Verum in hisce conueniunt nobiscum Calviniani: discrepant Pelagiani. Liquet in meo *Luthero-cal.* p. 4. q. 32.

### QVÆSTIO XIX.

*An detur ex parte hominis causa Re-  
probationis?*

XXXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

ALVINISTÆ peruicaciter Negant; esseque parem causam ac eandem tum Electionis, tum Reprobationis contendunt tam Positiuæ, quam negatiuæ.

CHRISTVS. Ego vero *veni vocare peccatores; & nolo mortem peccatoris; sed magis ut conuertatur, & uiuat:* ceu suprâ pluribus manifestum: nihilominus, quia vocaui, & nolui; ego quoque ridebo in interitum vestro, sed distinctè.

I. Reprobationis Negatiuæ causa est sola Dei voluntas; id est, Prior actus reprobationis est quo non vult quosdam saluare.

1. *Et quis est qui dicat ei, quare sic facis?* Adeo Iudicia Dei abyssus multa.

2. Quia verè, Rom. 9. *Antequam aliquid boni vel mali egissent, Non ex operibus, sed ex Vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Et *Iacob dilexi; Esau autem odio habui,* scil. in præscientia mea Dei. Nec *Esau odio habui* ob peccatum orig. quia & *Iacob in eadem fuit,* quoad pec. orig. damnationem.

Sed hæc reprobatio dicitur Negati-

ua, qua vnum libero ab or. pec. & alterum non libero: quia sic volo: *Miserebor, cuius miserebor:* Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti.* &c? Proinde Deus cuius vult misereatur, & quem vult indurat. Quæ voces licet positiuum quid sonant; negatiuè tamen capiendæ sunt: sc. quæ Deus non vult aliquos saluari Voluntate Antecedente: de qua hic sola agitur. Et in hac Deus fecit vasa contumeliæ ex massa generis humani, qualia massæ huius natura conditioque requiritur ex se, sc. vasa iræ & odij. Quibus sic in ea conditione relictis, in qua inuenit; non facit iniuriam; sed voluntate sua Antecedente se negatiuè habet: ceu verè exponit *S. Aug. ep. 106.*

II. Reprobationis Positiuæ, id est, Damnationis causa est in solis hominibus reprobis ob sua cuiusque peccata.

1. Idcirco me dicturum prædixi, Mat. 24. *Ne maledicti in ignem æternum.* Qua de causa? *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.*

2. Vnde & Rom. 2. *Ira & indignatio in omnem animam operantis malum.*

3. Debet homo Deum habere Autorem operum bonorum; tamen sine horum præuisione Deus eum prædestinauit, quia voluit & potuit: at habere Deum nequit Autorem malorum operum; ideo cum horum præuisione eum iuste reprobauit Deus positiuè ex causa peccatorum reprobi.

### QVÆSTIO XX.

*An Decretum Dei immutabile tollat liberum  
arbitrium; necesse sitque tam ad bona,  
quam ad mala?*

XXXIV.